

DE

# METHODO ENDERMATICA.

Wielka Towarz. Lekarsk.  
gub. Lubelskiej

246/  
E 8  
DE

# METHODO ENDERMATICA

## COMMENTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

INCLYTI ORDINIS MEDICORUM

IN

ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA STUDIORUM

UNIVERSITATE JAGELLONICA

AD SUMMOS

IN MEDICINA HONORES OBTINENDOS

*lecturis otus* scripsit *dantome -*  
*Jos. Adr. Katarzyński.* *Ogólni* *V*  
*clawne* 15306

CRACOVIAE.

TYPIS STANISLAI GIESZROWSKI.

1858.

*Wojciech Tarcz. Lekarsk  
gub. Lubelskiej*



Za pozwoleniem Cenzury Rządowej.

Przyjęto dnia 10.10.1918  
Wydruk dnia 10.10.1918

PP

**VIRO**  
ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO GENEROSISSIMO  
**Josepho Mathiae**  
**BRODOWICZ**  
Medicinac Doctori  
OPHTALMIATRICES MAGISTRO  
DECANO ORD. MED.  
OPTIME EMERITO  
PATHOLOGIAE AC THERAPIAE SPECIALIS PROF. PUB. ORD.  
ITEM  
INSTITUTI CLINICI MEDICI  
IN  
UNIVERSITATE JAGELLONICA  
DIRECTORI  
SOCIETATIS LITERARIAE CRACOVIENSIS  
SODALI  
EJUSDEM UNIVERSITATIS  
CONSERVATORIS  
**Celsissimi Principis de Metternich**  
V. O.

MAGISTRO SUO OPTIMO DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLLENDO

IN TESSERAM SUMMAE VENERATIONIS

HAS PRIMITIAS LABORIS ACADEMICI

SACRAS ESSE DESIDERAT

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

## QUAEDAM DE CUTIS ABSORPTIONE.

..... Si quid novisti rectius istis  
Candidus imperti, si non his utere mecum.  
HORAT. Epist. I. 6. 67.

Absorptionem cutaneam extra omne dubium positam esse debere, eamque pariter in cutis, superficie aequa ac in tunicis mucosis tubum intestinalem investientibus absolvit, nec pro momento haesitabit, qui non modo nexionem intimum quem systema cutaneum cum aliis sovet organis, verum etiam effectus post externam remediorum applicationem in lucem prodeentes, respexerit. Plura enim remedia cuti integræ imposita, si blanda sunt, lentius quidem, sin irritantibus et epidermidem destruentibus pollent viribus, citius vim suam exercent et effectum non modo in plaga illa proxime affecta, verum etiam in toto organismo producunt; qui eo evidentior, si remota epidermide corio ipso traduntur, facilime enim tunc temporis a vasis capillaribus excipiuntur atque in massam sanguinis ducuntur. Haud alio modo fieri solet, si in tubum intestinalem ingeruntur. Quae adsimilacioni apta sunt medicamenta statim a vasis lymphaticis excipiuntur, absorbenturque, quae vero huic functioni

obstant, codem modo ac in cute ipsa sanguini immiscentur sed eo facilius celeriusque, quo tenuius est epidermide epithelium, quoque majori copia vasa capillaria adsunt. Eximiæ balneorum virtutes et quae e mera aqua consistunt et quae nutrientia continent principia vel mineralia, dein mercurialium remediorum externe adplicatorum effectus, illis interne porrectis haud absimiles, materies tingentes aut odoriferae, balneis additæ; uti rheum, rubia tinctorum, oleum therebinthinae aliaque partim in urina vel sudore, partim in aliis humoribus secretis reperta <sup>(1)</sup> id evidenter evincunt; quum haec externæ cutis superficie aplica eosdem producunt effectus ac si interne essent ingesta. Perscrutando autem sedem proximam et organon in integumentis communibus, absorptioni praefectum, sponte liquet, eam non nisi in corio proprio sic dicto numerosissimis vasis absorptioni dicatis praedito, epidermidi immediate subjecto, peragi posse; epidermis enim ipsa ultiote vasis omnibus destituta plane expers est hujus functionis, effectus vero absorptionis, qui post adplicationem medicamentorum epidermide illaesa observantur, modo illius permeabilitati (porositat) adscribendi sunt. Epidermidem vero permeabilitem esse demonstrant exhalatio santoriana et sudores quibus adeo frequenter cutis obnoxia est. Res haec clarior adhuc evadet, ubi de diversis modis externæ adplicationis remediorum, agetur. Enim vero diu jam antiquissimi medici quum externo medicaminum usu morbis mederentur, effectuum illis interne porrectis haud absimilium, non insciū fuerunt. Sic Berengarius de Carpi, primus fuit qui post externum hydrargyri usum specificos effectus se vidisse affirmat. Amatus Lusitanus et Schirwenus ex usu arsenici

(1) Toxicologie von Buchner Nürnberg 1827 p. 357 et seq.

externo gravia enasci symptomata conspexerunt (2). Hippocrates et Galenus post pediluvia e decocto radicum hellebori nigri parata, diarrhoeam exoriri (3) alii vero ex radibus Hellebori albi abdomini impositis vomitum apparuisse, referunt (4). Denique rad. Jalappae, aloë, se ammonium et alia drastica unguenti forma epigastrio admota, alvum movere, a compluribus medicis, observata sunt. Inter acria scilla aequa ac digitalis purpurea externe adplicata diuresin largam provocasse, inter alios Auberus (5) et Brera (6) contendunt. Cataplasmata ex antihelminthiis parata epigastrioque imposta ad vermes expellendos plurimum valere Frankius, Boyus, Weikardus, hujus sunt opinionis. Haud prætermittenda est quoque methodus a Cyrillo aliisque medicis syphilidis universalis, solo mercurialium externo usu mendendi commendata; siquidem eventus hujus methodi etiamnum laetissimi observari solent. Cortex chinae variis formis adhibitus eximios largitus est fructus quos nobis Hufelandus (7) recenset, qui sacculo cortice chinae impleto et cardiae infantum imposito febrem intermittentem sanatam observavit. Chrestienus (8) tinturam chinae et extractum resinosum contra febres intermittentes varias, successu optimo in usum vocavit. Weikardus (9) denique cataplasmate e cortice chinae, Hba absynthii atque salviae cum vino

(1) Elementa physiologiae auctore A. v. Haller J. V. pag. 83.

(2) Westrumb Archiv für anatomic und physiologic von Meckel 1827 p. 486.

(3) Haller l. s. c. p. 87.

(4) Memoire de la société d'emulation 1797.

(5) Anatripsologie von V. A. Brera übers. von J. Eyerel Wien 1800 1. Theil p. 164.

(6) Hufeland über einige Kinderkrankheiten Leipzig 1792.

(7) Über die iatraliptische methode aus dem Franz. übers. 1815.

(8) Vermischte medicinische Schriften 4 stück 1782 p. 125 et seq.

confecto, lumbricos fugasse contendit, et nuperrime Michalis (<sup>19</sup>) qui cutem pectoris abdominisque leviter antea perfrietam chinino muriatico adspersit, dein plaga illa emplastro Gummoso obiecta febrem intermittentem quoque soepius apud infantes hac methodo proligavit — Plures itaque medici, recentiori aevi et praeceipuae Galli his experimentis ducti, judicarunt, cutem princeps organon esse ad recipienda medicamina diversa in forma, ut morbi debellentur; neque desuit eventus salutaris. Quare non modo hanc medendi rationem verum etiam novam methodum endermaticam (*methode endermique ou sousepidermique ou emplastrodermique*) ab illis nuncupatam promulgarunt, quae in eo consistit, ut epidermis qualicunque modo detrahatur et tali pacto, cute resorptioni magis idonea reddit, medicamina corio ipso applicentur.

(<sup>19</sup>) Nonnulla de methodo Endermatica auctore Magnusson p. 15.

## PARS I.

### *Generalia de Methodo Endermatice*

#### HISTORIA.

Methodi Endermatice initium medico Gallico Ballyo debetur, qui primus cutem epidermide orbatam Anno 1802 recipiendis medicamentis aptiore reddere studuit (11). Quippe qui dum in Hispaniola versaretur, calomelam contra febrem flavam in cutis loca artis ope excoriata, applicabat. Serius vero experimenta haec per plures annos oblivioni tradita videbantur, donec alii medici Galli quoque periculis commoti egregiis ab Orsila (12) et Magendio (13) in animalibus institutis, remedia optimo cum effectu in cutis loca excoriata aut incisa, inserentibus, huncce applicationis modum ab animalibus ad homines transtulerunt variisque morbis universalibus medebantur. Postea A. Lembertus et Lesiorius medici Parisienses hanc methodum Anno 1824, typis promulgarunt et inventionem hanc sibi vindicare conantur (14).

(11) *Revue medicale* 1827 Avril, v. Encyclop. Wörterbuch d. m. Wiss. Berlin 1834 1 Julii p. 122.

(12) *Allgemeine Toxicologie oder Giftkunde nach dem Französ. d. M. P. Orsila mit Zusätzen und Anmerkungen begleitet von Hermbstadt* 4 Bd. Berlin 1818.

(13) *Vorschriften zur Bereit- und Auwend. einig. neuen Arzneymit. übers. von Kunze* Leipzig 1824.

(14) *Archives générales de médecine* Maj 1824 « nous nous sommes décidés ajunt, a nous en assurer la propriété. »

Illi enim ambo multiplicibus et reciteratis experimentis, Lembertus videlicet in Nosocomiis decrepitorum et misericordiae (*de la viellesse et de la pitié*) duce Ballyo. Lesiorius vero in Nosocomio regio, item in Nosocomio quod a Cochino nomen fert nec non in eo quod Bicêtre dicitur, (*maison Royale de Santé et Bicêtre*) institutis, methodum endermaticam excoluere et in usum vulgarem, introduxere. Ab his etenim nevralgia capitidis, catarrhi chronicis, dolores pleuritici, tetanus et trismus applicato morphio acetico, paralyses strychnino, sanabantur. Plura ejusmodi experimenta circa moschum, asam factidam camphoram in nevrosibus: tartarum stibiatum in cryspelate faciei, exanthematibus suppressis; belladonam, digitalem purpuream in dyspnoea, calomelam in syphilide, scillam in hydrope, aliaque in diversis morbis Anno 1826 instituta (15). Eodem tempore multi medici methodum hanc utilissimam evadere posse censentes, magis tam perscrutare conabantur praecipue vero Adelonus, Bertinus, Dumerilius qui ab Academia Parisiensi ad illam inquirendam erant electi, acque ac Andralus Senior, Genavius de Massy, Doubleus, Chomelius et Segalas (16). Anno insequenti iterum Ballyus (17) priora sua experimenta recentioribus et diligentioribus locupletata divulgavit, nec longo tempore post Martinus (18) alia cum sulphate chimii instituta. Serius denique aliarum gentium medici uti Germani Weschens (19) et Lehmannus, Angli, aliisque Gallos secuti sunt.

(15) *Essai sur la méthode Endermique* Lembert 1826.

(16) *Bulletin de sciences médicales* 1826.

(17) *Revue médicale Avril 1827 v. Hecker's litterär. Ausgaben Nbr. 1827.*

(18) *Eodem loco — Septembre 1827.*

(19) *Diss inaug. de chimii externo usu auctore Lehmann Berolini* 1828.

*De epidermide amovenda.*

Epidermis sine dubio vasis atque nervis destituta, magnum est absorptionis impedimentum, quippe quae tanquam alienum corpus inter medicamentum et vasa absorbentia intercedit. Neque dubitari potest, quin epidermide ablata, priusquam medicamenta adhibeamus, ea multo facilius cele- riusque recipi possint. Experientia enim docet quodlibet fere medicamentum digestione haud indigens hac ratione esse efficacissimum. Primum itaque est ut melius remedii absorptio promovatur effectusque citiores sequentur, epi- dermidem auferre, dein remedia exhibere. Hunc in finem a diversis diversae proponuntur methodi. Lembertus ves- catoria commendat quae et Lesiorius (<sup>20</sup>) nisi aegri erethismus vel indoles morbi in obstaculo sit, haud rejeicit, sin aliter, eorum loco vel pannum sericum vesicantem vel corticem laudat Mezerei, remedia lentius quidem agentia sed leniores excitantia dolores. Lembertus ad dolorem ves- cantibus subsequentem mitigandum feliciter ex consilio Rayei cataplasmate vesicans obtegente usus est; quo sit ut epider- mis nulla ingrata perceptione producta in bullam insurgat. Urgente subita medicamentorum adplicationis necessitate Lesiorius usum aquae servidae proponit, cui gossypium acido sulphurico leviter imbutum dein epidermi impositum, aequae ac acidum aceticum concentratum, similem effectum produ- cere posse affirmat. In defectu omnium illorum, incisionem parvam cultri ope ad corium penetrantem suadet. A. Tro- ussavius (<sup>21</sup>) liquorem ammonii caustici commendat, quo, hoc modo utitur. Inprimis linteolum idoneae magnitudinis cuti impositum liquore illo pluma excepto madefacit. Post duo-

(<sup>20</sup>) Archives générales Juin 1826.

(<sup>21</sup>) Journal universel et hebdomada. Juillet 1831.

decem sexagesimas, cutis, quae linteo tunc removendo obiecta fuit, rubra rugosaque apparet, si autem brevi post vel digito vel potius panno aspero perfricatur mox epidermis in bullam elevatur. Tali quoque modo si acidum aceticum acerrimum adhibetur vix decem sexagesimas post adlicationem practerlapsis bullas produci refert Meurerus. Troussavius et Bonuetus singulare unguentum ammoniacale invenere, quod omnibus aliis praeferunt; cito videlicet illud agere ajunt, leves tantum proritare dolores, nec internis organis nocere, dum cantharidum praeparata vias uropoeticas soepe noxio modo adficiant. Conficitur ex aequalibus liquoris ammonii caustici et axungiae porcinae partibus, cum quinta sebi parte, cuius tamen quantitas pro vario anni temporis calore, augeri vel diminui potest. Hoc modo compositionem illam praeparare jubent auctores (').

Unguento hoc spatulac ope cuti applicito, aegri in hac parte frigus sentiunt, quod quo valentius est unguentum eo gravius percipitur, hoc brevi calor excipit et nonnullis sexagesimas post eadem pars punctiones habet, rarius dolet. Decem, duodecem vel quindecem sexagesimas elapsis, levis in loco unguento illinito apparet rubor, quo facto illud mox removendum est, epidermis vero tum in bullam vel plures et parvas vesiculas extollitur, quae leviter frietae in unam majorem confluunt: Usum hujusce methodi et A. L. Richterus laudat. Hoffmannus particulam spongiae acido

(') Sebo primum calore liquefacto admisectur axungia ut simul cum eo confundatur, quo facto sola refrigeratur massa ad consistentiam semifluidam et in vas vitreum bene postea obturatum transfertur, tum liquor ammoniacalis affunditur et vase vitro probe clauso concutitur eousque donec liquor a pinguedine haud secedit, mox existit unguentum subfluidum.

acerrimo madefactam cuti apprimit et dein crustam formatam forepis ope removet. Non desunt permultae aliae ad epidermidem amovendam viae ab Antonio Carlistio (22), Mansfeldo (23) aliisque propositae. Horum prior singulari utitur instrumento. Consistit hoc orbiculo metallico, manubrio praedito sex pollices longo, cuius posterior pars e ligno confecta est, anterior vero metallica parum incurvata centro orbiculi affixa est adeo ut manubrium cum hocce angulum efficiat rectum. Orbiculus ille in aquam ferventem demersus per quinque tenetur sexagesimas dein parti excoiriandae, quae, panno sericeo aqua calida madefacto, interea est obiecta, per 3 vel 4 minimas horae partes firmiter apprimitur, quo sit, ut epidermis in bullam exsurgat. Alter vesicas minime necessarias esse contendit, sed solam irritationem cutis, quare sinapismum magnitudinis idoneae parti adhibet et quando dolores vehementiores irritationem sat gravem indicant, pultem sinapinam removet, cutique rubefactae medicamen salivae immixtum digiti ope infricat, paullo minori dosi, quam quae endermatico convenit usui, nihilo minus insignes consequentos vidi effectus. Hunc modum alijs quam faciliorem et minus dolorificum, nec vestigia diu relinquenter longe praefert auctor.

Perpensis omnibus his methodis ad epidermidem amovendam propositis, elueet haud omnes commodas esse, quum ope nonnullarum citissime quidem cutis eroditur, facile tamen propter vehementiam suam inflammationem cutis malignam, dolores acerbos, aliaque inferunt incommoda, absorptionem impedientia; aliae autem, instrumenta et apparatus desiderant, quae haud ubivis praesto esse possunt et

(22) Philosophical Magazin and Journal Octobre 1826.

(23) Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtkunde 2 B. 1828.

uniquique casui accommodari, ubi emplastrum vesicantia aliaque id genus, corpus minus laedunt, facilius haberi possunt et eosdem praestant effectus.

*De loco ad epidermidem amovendam seligendo  
ejus magnitudine et numero.*

Locum ad epidermidem detrahendam illum esse aptissimum censemus, ubi cutis tenera vasis atque nervis abundans, largius halitum sumum emittit atque facile cuticula orbari potest. Quare maxime semina, interior brachiorum pars, scrofululus cordis, aliis locis preferenda. Attamen quanquam soepenumero feliciter morbus ablatus esset, vesicatorio cuiunque loco brachio vel cruris applicato; multum quoque ad morbi sedem organorum affectionis qualitatem respicere opportet. Sic Raciborski jure illud regioni epigastricae vel spinae dorsi, injiciendum esse monet, cum generalis sit regula, sedi morbi principalis quam proxime id fieri possit applicari debere. Quo sit, ut etiam derivationis vices agat. Ejusdem sunt opinionis Lembertus, Ballyus, Gerhardus, et alii qui, remedia hunc in modum adhibita, valentiores celerioresque effectus praestitisse, contendunt, et eo melius agere, quo proprius centro systematis nervosi vel organo affecto admoventur. Ballyus enim e  $\frac{1}{16}$  grani parte morphii acetici ad caput admoti narcoseos symptomata vidit. Lembertus belladonam membris inferioribus applicitam, nullas cerebri affectiones provocare animadvertisit, gravissimas vero si caput pro applicationis loco sicut electum. Idem quoque spasmos post strychnii usum eo vehementiores observavit, quo proprius partibus resolutis adhibebatur. Si igitur localis est morbus topicique exoptantur remedii effectus, loco affecto imponeendum est medicamen, sin vero universalis, loci organis vi-

cini in quae in primis agat, seligantur necesse est: sic belladonna oculis, morphium capiti, strychnium spinae dorsi, medicamenta alvum ducentia abdomini, diuretica lumbis optime applicantur.

Magnitudo et numerus harum erosionum maxime e remediorum efficacia et morbi extensione pendere videtur. — Soepissime una sufficit, quae haud major esse debet, quam quae possit excipere medicamen, quo vero gradu hujus augetur dosis, eo magis illa est amplificanda Hoffmannus et Ballyus contendunt medicamentum multis sed simul parvis plagis applicatum uni majorique plagae imposito, praeserendum esse; metuentes ne ex majori vesicatorio exoriatur inflammatio et exulceratio absorptioni noxiae. Plures erosiones parvae ad illos etiam casus restringi possunt, ubi morbus non ex uno fonte scaturit varioque modo extenditur.

*De medicamentorum applicatione.*

Cum remediorum efficacia et natura longe inter se discrepat, atque cum cutis, pro varietate loci irritabilitatis et sensibilitatis, variam habeat facultatem percipiendi, facile itaque patet haud unam eandemque esse applicandi rationem; multum enim hic dependet utrum medicamen adhibendum liquecat nec ne? an jam minor ejus moles conspicuos praestet effectus? Sinc illa enim virtute, non bene contingit absorptio, coque ipso adsimulationem recusat, effectuque subsequendo maxime obstat. Ilacce vero virtute, destituto medicamento, fieri non potest, quin magna ejus massa corio inspersa, sola mechanica actione inflammacionem exulcerationem aliaque mala importet. Omnia itaque medicamina irritantia, quae magna copia ad effectum prognendum atque vasta cutis erosione, indigent, huic me-

thodo minime idonea sunt; sed ea praecipue adhibenda, quorum dosis minima, magnam recondit vim, quae facile absorbentur, quibusque minimo contactu cum periphericis nervis opus est. Huic medentis consilio, respondent potissimum materies plantarum alcaloideae, antimonialia, diuretica valentiora, scilla, Digitalis purpurea, inter drastica jalappa, Extr. colocynthid. Gummi cambogiae, Scammonium aloe; inter narcotica morphium ejusque sales. Extr. Belladonae Strychnium. — Non modo vero ab hisce conditionibus dependet hujus methodi efficacia sed etiam a forma et modo quibus medicamina applicantur, a deligatione, ulteriorique partis erosae curatione, quac nunc diligentius exhibere nobis licet.

*Forma.*

Inter omnes formas hoc consilio seligendas, pulveris forma maxime congrua esse videtur, cum non modo facilius et citius quantitas remedii definiri potest, verum etiam ejus efficaciam omnium praestantissimam, experientia comprobavit, quamobrem strychnium, morphium ejusque salia, calomelas, flores Zinci, Digitalis huic formae optime convenient. Si grano minor dosis adhibenda est, tum pulvrem radicum althaeae gummi mimosae vel sachari albi adjicere suadent auctores; aliis, vero medicaminum tam parva dosi adhibendorum, solutio melior visa, quum addito pulvere gummoso, vel amylo, facili modo cum sero exsudato quasi crustam forment, absorptioni momentaneac, repetitaeque applicationi impedituram. Nihilominus monendum est medicamina in solutione non convenire, facile enim fines loci erosi transgredientur vel a linteis deligatoriis absorbentur, nec locis declivibus applicari possunt. Pulveres qui maxi-

mam partem resinas constant, quibus paullum gummi additum est in spiritu vini prius maceratos, et dein linteo cerato simplici illito inspersos applicare suadet A. L. Richterus. Gummosa vero uti alœ gummicambogiae pulveris formam gerentia, bene adhibentur sine praevia solutione. Remedia irritantia uti pulvis et extractum scillæ, chinium sulphuricum et muriaticum, aliaque, cum aliqua parte axungiae vel gelatinæ commiscere praestat. Quod ne cum salibus chinii fiat repugnat A. L. Richterus; effectus salis difficulter solubilis non modo hac involutione debilitari, sed acidum a basi discedens, caustici instar locum excoriatum afficere contendens, dum chinium sero exsudante commixtum, siccum formet crustam; quare locis majori extensione denudatis quantum salis adhibere constituit, pulveris forma sensim inspergit.

*Dosis.*

Propter variam virtutem quae remediis inest, sponte liquet, haec non semper eadem dosi adhiberi posse, sed pro singulari eorum vi, forma, pro sexus, aetatis, temperamenti, constitutionis et morbi indolis diversitate, illam augeri vel diminui. Inter plures constat a dupla vel tripla dosi, quamquæ ingeritur incipiendum esse, quod tamen vix ad narcolepsia accommodari valet, imprimis autem ad morphium et strychnium, cum quibus quam cautissime incedendum, nec unquam eorum dosis augenda, antequam secundarii prioris adplicationis in lucem prodierint effectus. Lembertus refert in quadam aegroto morphii vel salium ejus majori dosi et breviori tempore repetitum usum tantopere exacuisse sensum, ut minima horum particula postea, gravissima excitaret symptomata. Ex his igitur concludere

fas est, haud minoris momenti esse, utrum directe in systema nervosum agat remedium nec ne, utrum ad solubilia pertineat, majori tunc excellens virtute, sive secus? Quae minori pollent virtute medicamina, uti chinium, sulphur stibiatum rubrum et similia, corum dosis quater vel sexies eam quae interne adhiberi solet, superare potest. Quod ad applicationis iterationem attinet, haec, non modo a morbi indole, verum etiam quid medicamen effecerit, qualemque effectus gradum attigerit, multum dependet. Narcotica vel quotidie imprimis vespere, vel bis per diem mane et vespere; chinium et similia medicamina in typi intermittentis morbis usitata vel semel tantum majori dosi inter apyrexiam vel quoque pluries hoc tempore, minoribus portionibus et postea morbo sedato per aliquot dies mane et vespere ne morbus recidat, applicantur. Purgantia si post tres vel quatuor horas praestiterint effectus, intra quod tempus agere solent, denuo applicari debent. Idem valet de reliquis medicaminibus hac via porrigendis.

*De applicationis modo et deligatione.*

Epidermis in bullam elevata forifice resecanda amoven-  
daque est simul cum sero exsudato. Lembertus quidem foramine tantum in vesicula facto relictaque epidermide me-  
dicamenta invehit, corio videlicet cum aëre hoc modo haud congre-  
diente vasisque resorbentibus haud constrictis, resorp-  
tionem melius succedere contendit. Haec tamen ratio ab  
omnibus fere auctoribus merito repudiata est, quum ut  
Hoffmanus (<sup>(21)</sup>) assert, aër eadem ratione foramine facto  
intret ac si epidermis tota amoveatur, seroque secretionem

(21) Huffeland und Osann J. d. II. Berlin B. 69.

nova accumulato effluente, resorptio valde impediatur; cum denique ut facillime intelligitur, medicamentum vix in tota superficie denudata, dispesci possit, et nonnunquam hac ratione omnino non cum cute ipsa in contactum veniat, quoniam secundum observationes institutas cutis epidermide jam liberata non raro exsudato gelatinoso adeo firme illi superficii adhaerente cooperitur, ut tantum forcipis ope, amoveri vix possit. Quare recte plures suascere auctores totam auferendam esse vesicam forcipis ope et serum sola spongia vel linteo molliori detergendum. Middlemorus (23) medicus anglus partem linteoi mollis in contactu cum corio, seri absorbendi causa, per aliquod tempus relinquendam esse suadet. A. L. Richterus non prius medicamina adhibet antequam excoriatio unguenti sabinae ope in suppurationem transierit; utrum hic modus congruus sit nec ne, hoc singulis medicis dijudicatu relinquimus.

Ilis itaque praemissis, remedia pro varia quam gerunt forma vario quoque modo corio denudato apponuntur. Sic pulvis subtilissimus, spatulae ope vel chartae alicui inclusus levi manu, conciliendo, inspergitur, quod, cum in locis declivibus minus aptum sit, pauxillum aquae Troussavius et Bonnetus pulveri addunt, pastam inde qua obducatur corium, formantes; quae ratio eo quoque commendatur, quod absorptionem adjuvat. Cujus rei ut certiores redderentur haec instituerunt experimenta; cum enim morphium hydrochloricum aequali dosi in pulveris forma et pastae, aegrotis variis, porrellum fuisse, illius quartam massae partem residuam, hujus vero totam absorptam, reperierunt. Pulveres magis irritantes, uti squilla et alia cum axungia miscendi vel secundum Recamierum et Troussavium inter linteum

(23) Allgemeines Repert. von Behrend Febr. 1832.

vel pannum bombycinum tenuissimum positas, corio applicandi; quo effectus fortiores minuantur et modo sensim, cum linteum a sero exsudato madefiat, sequantur. Liquida medicamina guttatum in superficiem denudatam vel linteo carpo imbuta apponenda vel denique lotionum instar adhibenda sunt. Ad applicanda remedia aërisiformia secundum Lembertum, opus est vase, duobus tubulis munito, quorum unus aërem adferat vasi alter vero aërem medicatum dimittat.

*Deligatio Medicamentis applicatis*, pars illa emplastro adhaesivo simplici obtegatur necesse est. Hoffmannus charta cerata medicamentum obtegere, hanc vero emplastro anglicano et spleniolo superimposito fasciae ope firmare commendat. Troussavius et Bonnetus partem nudam charta bibula humectata cooperiunt, quae cum sicca reddit a deo inhaerebat, ut nec emplastris nec fasciis opus esset; sub detractione tamen ejus, dolores acerbi oriuntur. Quod cum secundae adlicationi, nocere possit, parti nudatae chartam ceratam imponunt, et dein charta bibula humectata vel emplastro anglicano supra posita, deligant. Quavis in nova medicamenti adlicatione, pus membranaeque spuriae formatae, diligenter forcipis ope amovendae sunt. Cutis vesicatorio ita nudata per aliquod dies usque ad hebdomadem ad medicamentorum adlicationem apta est, nisi medicaminis natura graviores produxerit effectus. Lembertus affirmit, extractum squillae, strychnium per longius temporis spatium uni eidemque loco cum eodem effectu applicari posse, idemque de chinino, morphio, extr: hyoseyami et kermete minerali. Calomela vero et plumbum aceticum mox adlicationis locum inutilem reddunt, quia sub his, plagam cito exsiccati Hoffmannus reperit. Si forte locus ille jam nimis siccus est, epidermideque iterum formata obtegitur, alio in

loco vesicatorium adplicandum. — Eadem enim loco impositum epidermidem quidem solvit, attamen cum haec valde tenuis sit, serique secretio minori copia adpareat, difficulte nec sine doloribus magnis amoveri potest. Suppuratione etiam exorta extemplo novus applicationis locus seligatur necesse est, illa enim quamvis minori in gradu superstite, medicamentum nulos fere effectus prodere Bonnetus et Troussavius afferunt.

*De effectibus medicaminum quae endermatice  
adhibentur.*

Medicamina hac medendi ratione adhibita mox effectus praestant, eosque duplii sub respectu, altero locali seu primitivo altero universali. Ille mox subsecutus ex physica medicaminum indole et copia varia variat, modo enim in pruritu vel ardore modo in doloribus gravibus non raro vix ferendis, atque rubore locali et ad vicinia sese extendente, consistit; hic autem secundarius videlicet, decem horae minutis vel hora una vel duabus tribus haud raro ab administratione elapsis, in lucem prodit. Aegri enim ustionis caloris vel doloris lacinantis sensu se corripi dicunt, qui affirmante auctore A. L. Richtero imprimis, si narcotica remedia adplicata fuerint, radiatim quodammodo a loco denudato per nervos ibidem haerentes sese extendit, atque universalis corporis temperaturae incrementum, producit. Effectus medicaminum secundarii haud prorsus eodem modo, quam quae per os ingeruntur, produci videntur, sed temporis et agendi ratione differre, plurimi medici et praecepit Lembertus, Troussavius et Bonnetus contendunt. Ihi enim permultis experientiis edocti, virtutes medicaminum vix corio illatorum fulminis celeritate produci posse, affir-

mant, cum jam duobus minutis post endermaticam applicationem levaminis signa apparere non raro conspexerint; quae post internum eorum usum aliquot dierum spatio sequi demum soleant; quod, decomponentibus ventriculi viribus et minori absorptioni, adscribunt. Atqui tamen hanc effectum diversitatem (si tempus respicitur) ab applicationis modo et loco, aegri sensibilitate atque indele morbi, multum dependere videtur. Haud raro enim citiores vel seriores medicaminum effectus, tam post endermaticam methodum quam post internam eorum ingestionem, pari modo subsequi, visi sunt. Nihil itaque mirum; nonnunquam eos citius fieri posse quam soleant, si tantum momenta vix enumerata spectemus. Si enim topica est affectio et topice immediateque remediis utimur, cito sine dubio ob nervos mox sollicitatos apparent virtutes, si vero remotiori in loco sit applicatio, prius affectionis remedii effectu subsequentis, symptomata, quam levamen aliquod accedere, videmus. Quod ultimo in casu a systemate lymphatico prius excipitur et cerebro mediante demum agat, necesse est. Et frequentior usus haud parum quoque ad citiores vel fortiores effectus producendos contribuit; experientia enim docet, remedia, tertia vel quarta vice applicata, quanquam minori dosi, maiores exserere vires. Teste Ballyo haec medendi ratione effectus remediorum multo sinceriores obtinentur, quam usu interno, quatenus minus cum morbi symptomatis miscentur.

Plura remedia organis diversis vel systemati aliquo adaptata specificam suam actionem minime mutare videntur. Sic Lembertus kermes minerale excoriationi pone aurem applicatum, praecipue in bronchia; strychnium regioni partis resolutae exhibitum in ipsam partem agere, sibi persuasit, nihilominus tamen universalis effectus, elapsis aliquot horis

prodiit. Belladona loco pedis nudato applicata, eodem auctore, pupillae dilatationem minime vero sensorii perturbationes; quae, remedio capiti proxime admoto, vehementes ingruere dicuntur, produxit. Usus externus narcoticorum in genere, uti strychnii, morphii, belladonae etc. analogus fuit interno. Vias respicientes, quibus remedia, hac ratione adhibita vires suas exserunt, explicatu difficile est; per sympathiam enim qua hunc in finem nonnulli usi sunt, minime haec phoenomena explicari queunt; directum enim commercium bronchia inter et cœlum, quae apophysin mastoideam tegit, inter pedis integumenta ac visus organa, non existit: nec probabile videtur irritationem localem per nervorum surculos, ad cerebrum propagari, idque in varia corporis organa, reagere. Magendius enim nervis transversim dissectis commercioque cum corporis trunco non nisi per arteriam et venam sustentato, venenum intulit artui, quo facto, toxicatio evidens apparuit. Proinde patet substantiarum effectus ex parte ab earum resorptione transituque in vasa pendere.

*De noxiis cohibendis.*

Cum post medicamina hac ratione in organismum recepta, etsi summa quidem cum circumspectione applicata, haud semper veneficii symptomata medici ausugere potuiscent, praecipue, ubi potentissimis usi sunt; quorum dosi parum aueta, jam effectus secundarii et quidem letales hanc raro socios sese dederunt; diu itaque medicorum conatus erat, invenire remedia quae contrario effectu producto, gravissima veneficii signa aversari aut mitigare possent. Felicissimo cum eventu Lembertus et Lesiorius reperierunt contra strychnium antidotum, quod contrarios effectus, quodam-

modo excitans, mox post sui applicationem noxiā vim, cohibere valet. Plura enim hoc scopo in animalibus experimenta instituta, illud, efficacissimum esse ostenderunt, quod nec in homines dein translatum, spem eorum fefellit. In aegro enim paralysi affecto, strychninum endermatice adhibuerant, illi viri strenui dosi dimidii grani, quam sensim ad duo augebant. Duabus vero horis post ultimam inspersiōnē tetanicus apparnit insultus violentus. Mox arcessiti superficie denudatae, in qua applicitum erat strychninum, ablutae detersaque, grana duo morphii acetici, applicarunt. Decem vix praeterlapsa sunt minuta et aeger quievit, somnolentiam modo accusans, membraque spasmis lacessita in naturalem redierunt statum; post quadrantem horae, omnia symptomata strychnii veneficium indicantia, evanuerunt; ita tamen, ut aeger per aliquot modo horas levi morbosa mobilitate (susceptibilité nerveuse) laboraret, membraque, quando levem in cubiculo strepitum audiebat aeger, mox motibus spasmodicis, corriperentur. Eundemque effectum morphium praestitisse G. II. Richterus in duobus casibus, in focmina videlicet paraplegia atque viro, hemiplegia apoplexiae sequela laborante, viderat.

Uti e morphio contra strychninum, sic quoque ex usu moschi vel camphorae contra narcotismum morphio productum, Lembertus optimos vidisse fructus commemorat A. L. Richterus. Ast dolendum artem medicam, contra alia veneficia antidotis specificis, quibus eundem effectum, oblineamus, carere, quare, curae cordique medicis esse debet, remedia in promtu habere, quibus, si haud tolli saltim minuti possint, eaque, quo simpliciora, quoque faciliora applicatu, eo plus praestare, videntur. Non de re itaque fore speramus nonnulla de hisce exponere. Mox quando pericu-

losa apparent symptomata, superficies denudata abluatur detergaturque necesse est; talia vero remedia ad ablutionem eligendo, quae medicamina adhibita, solvere hand valeant. His vero praemissis quae absorptionem ulteriorem cohibent, statim adhibenda. Perutiles hoc scopo compressio et cucurbitae siccae sunt. Jam enim Celsus (<sup>26</sup>) de vulneribus mortis productis, disserens, virus e vulneribus quae infligunt canes rabidi vel serpentes, educendum esse praescribit cucurbitarum ope vel si hac desunt, vasculis illis similibus vel suctione oris, quo facto demum, vulnera excidenda esse, praecepit. Recentiori tempore multa quoque praestiterunt. Barryus (<sup>27</sup>) medicus anglus dum Parisiis versaretur plurima cum cucurbitis contra vulnera venenata instituit experimenta, quibus quoque theoriam de circulatione et absorptione a se propositam, argumentari vellet. Hisec demonstravit, vitam animalium, quibus vulnera inflicta venenisque letiferis imbuta, servari posse, si supra vulnus applicetur per horam cucurbitula et vulnus dein excidatur. Pari quoque modo Adelonus, Laennecius, Orfila celeberrimi viri qui ad hanc rem disquirendam ab academia Parisiensi medicorum regia, electi erant, plurimis institutis experimentis approbarunt, cucurbitulas siccas vulneribus mox ab introductione veneni applicitas noxios effectus retinere, hos vero jam praesentes, omnino sedare (<sup>28</sup>). Bouillandius non minus quam Barryus ad pericula toxicationis vulnerum tollenda, cucurbitis confidit, quas tamen variis experimentis ductus per compressionem modo, quam nervis et vasis vulneris circumdantibus inferunt, agere putat, quare compres-

(<sup>26</sup>) Celsus de re medica L. V. Cap. 27.

(<sup>27</sup>) Archives générales T. IX. p. 151—288 T. X. p. 129—526.

(<sup>28</sup>) Annales medico chirurgical 1827 p. 496.

sionem solam quae et codem modo agit et longe simplicius est, cucurbitis anteponit (29).

Compressio etsi et simplicius et institutu facilius remedium esse videatur, attamen ligatura, quae per longum tempus applicata et dolores graves noxiampque membro inflammationem inferre possit, cucurbitis aëre orbatis, minime praeserri debet; quae id commodi quoque præbent, ut, quod rite monuit Jtardus (30) aliquid veneni adhuc in vulnere praesentis simul cum sanguine, exsugant. Kupfero (31) saltem contigit, experimentis cum strychnio institutis in fluidis cucurbitarum ope exsuetis, vestigia hujus veneni invenire.

*De commodis et incommodis methodi Endermaticae.*

Methodus endermatica recte adhibita, aliis non modo est praferenda verum etiam in multis casibus solum restat confusium. Quod in primis tunc accidit, si cacteris viis medicamina ingerere aut nequimus aut non debemus; ita si aeger laborat trismo vel faecium vel oesophagi, facile aditus ad ventriculum clauditur, ususque remediorum internus impeditur, quid, si ventriculus ipse aliquo adficitur vicio, a quo nec minima alicujus remedii pars recipi atque retineri potest? Libenter itaque cum aliis confiteri oportet nullum remedium universale nec panaceam praestare, nobis id, quod haec methodus praestat, dummodo angustissimis finibus in eligendis medicaminibus et morbis, ubi utilitatem ejus usus, specari jubet, esset circumscripta. Talibus finibus circumscriptis

(29) Archives générales 1826 p. 656.

(30) Encyclop. d. med. Wiss. von Meisner T. XI.

(31) Commentatio physiologico medica de vi quam aër pondere suo in motum sanguinis et absorptionem exerceat. Leipzig 1828.

tas esse putamus substantias alcaloideas vel potius carum salia solubilia et materias hasce continentes, quorum usus permagni sit aestimandus, et quo largiora haec praeparata chemia temporis successu inveniet eo pleniorem etiam fore hujus methodi materiam medicam: quamobrem narcotica et nervina sola huendum erant, quorum usus comprobatus in hac methodo habetur. Exinde itaque eluet, morbos nervosos solos esse quos methodo endermatica omnino depellere possimus, si nulla causa materialis vel organica subsit dynamicamque solam ducant originem et quo magis localis morbus sit, quo magis periphericae partes, systematis nervosi, adficiantur, co celeriores fortioresque exserit effectus, nostra methodus. Quare fieri solet, ut localibus nevralgiis paralysibus spasmis atque morbis dynamicis periodicis affecti aegri, facilius citiusque hac methodo sint sanati. Nec in aliis affectionibus nisi eura symptomatica sit adhibenda applicari queunt haec remedia, quae similiter quam anodyn hypnotica his in casibus fortiter celeriterque agunt et quorum usus maximi est momenti ad tollenda singula molesta symptomata. Monet tamen Behrius «ut cauti esse debeamus in narcoticis palliative adhibendis ne quod alte jacentis mali signum, unum dedit natura, amittamus et ipsum malum explorare ita negligamus.» Haec itaque omnia considerantes, patet methodum endermaticam sequentia comoda exhibere.

- 1) Medicamina hac ratione porrecta neque olfactum neque gustum adficiunt, ita ut, idyosincrasia forsitan apparente, usus eorum haud impediatur.
- 2) Remedia insciis aegrotis administrari queunt.
- 3) Securius medicamina porrigitur facile enim effectus periculosi coērceri possunt, si quidem, oblata necessitate submovere licet medicamina imposita.

- 4) Medicamina proxime partem adfectam adhiberi possunt, effectus validissimi obtainentur et loca suppurantia re-vulsionum externarum vices agunt.
- 5) Quae a diversis medicamentis succi gastrici procreatur decompositio, eam, medicamina corio denudato applicata omnino evitant.
- 6) Remedia auctis dosibus possunt administrari, quorum tamen doses largiores, propter effectum periculosum intus exhibere non licet.
- 7) Localis haec applicatio tubum intestinalem nihil adscit, qui internis remediis soepe obruitur et offenditur.
- 8) Methodus haec omnia praestat emolumenta, quibus applicatio remediorum in cutem epidermide haud nudatam excellit et efficacia hoc in casu tanto est mani-festior quanto promptior absorptio.
- 9) Medicamina hoc modo possunt applicari si reliquae cor-poris viae vel nullatenus vel cum periculo tantum ap-plicationem patiuntur.
- 10) Copia medicamenti quae absorptione organismum intrat majori probabilitate aestimari potest, quam interne pro-pinati, quoniam nos semper fugit, quantum in ventri-culo remaneat, quantumque effectum producat.  
Haud desunt tamen alii, qui ex altera parte, hanc me-thodum multis adhuc difficultatibus premi omnibusque nu-meris, nondum absolutam esse, perhibent, et quidem:
  - 1) Medicamina hac methodo administrata non semper pro-spero successu coronari.
  - 2) Curationem secundum illam methodum, soepenumero tan-tum symptomaticam esse, cum haud omnes morbi si-cut febris intermittens vel morbi nervosi hac tantum adhibita curatione, omni ex parte sanari, sed inter-dum tantum nonnulla symptomata auferri possunt.

- 3) Multos esse casus in quibus haec methodus omnino locum habere nequit:
- a) ob medicamenti quantitatem ipsam, cum tantum minori dosi adhiberi potest,
  - b) ob inflammationem in corio majoris gradus subsequentem vel exanthema aliquod, vel denique ob eutem hydrope anasarea affectam.

Quicunque haec methodi incommoda cum virtutibus ejus comparabit, illum persuasum fore putamus; haudquaquam utilitas ejus denegari atque nonnullis in casibus longe pro cura instituenda, illi internae aptior fieri posse; coque magis cum omnia haec momenta incommodis adnumerata par modo sub interno remediorum usu occurunt. Verum quidem post interna remedia incassum aliquando tentata ad curam symptomaticam et palliativam in defectu radicalis recurrentum, aeque ac interna remediorum applicatio haud semper locum habere potest. Iure itaque laus inventori hujusc methodi ejusque utilitas tribuenda est. Quivis enim sane medicus, ex hac methodo fructus maximos capere potest, nunc sola adhibita, nunc cum curatione interna conjuncta.

Regulis itaque generalibus, quae in medicamentis endermatice adhibendis sunt observandae, traditis, ad speciales nunc effectus, qui post singula remedia in singulis morbis se exhibere soleant, recurrentum. Incipiendo a narcoticis quae primum inter alia occupant locum.

---

## PARS II.

*Specialia de hac methodo*

### A. NARCOTICA.

#### I. MORPHIUM ETIUSQUE SALIA.

Morphium purum et aceticum primum a Lemberto (<sup>(32)</sup>) adhibitum fuit, effectusque duplices, ut superius commemoratum locales et universales, ab illo distincti. (Troussavius quidem et Bonnetus (<sup>(33)</sup>) sulphuricum et hydrochloricum acetico anteposuere quae cum facilius solvantur, celerius absorberi et effectus celeriores fortioresque edere, ipsis visa sint).

- 1) Effectus localis in pruritu levique sensu punctorio consistit, eui brevi post succedit quies.
- 2) Effectus universales sequentibus stipantur phoenomenis:
  - a) secretionem in bronchiis diminuit, respirationem soepe retardat interdum oscillationes facit,
  - b) circulum sanguinis retardat atque debiliorem reddit,
  - c) pupillam coarcat, cerebrum nervosque ita adficit, ut somnolentia, sopor, vertigo, imo deliria, cephalalgia, quandoque temulentia, soepe ingens alacritas, orientur prout dosis differat,
  - d) organa digestionis eum in modum offenduntur, ut Lembertus centum in exemplis nauseam, soepius vero alvi obstructionem observaret,

(<sup>32</sup>) Essai sur la methode endermique p. 28.

(<sup>33</sup>) Archives générales Novembre 1831.

e) quod ad organa uropoëtica attinet, idem sexies dysuriam, ter diminutam diuresin (inter ducentos casus) vidit; eodem effectus graviores, morphium extrinsecum ad digestionis organa applicatum, proferre, dicitur.

Dosis hujusce remedii imprimis, si prope caput adhibetur parva esse debet, in adultis quarta vel dimidia grani pars, in infantibus decima sexta, sufficit. Caute vero augeatur opportet, ita, ut si graviora exoriantur symptomata, per dies aliquot seponatur usus, ad duo vel tria grana nunquam excedat vel secundum Lembertum ad quinque.

### Morbi qui morphii ope curantur.

#### 1) *Tetanus et Trismus.*

In hoc morbo Lembertus (<sup>(31)</sup>) ter morphium aceticum adhibuit. Primus casus erat tetanus traumaticus e lacsione tendinis peronci productus, quem cum venaeescetio birudines balnea et vesicatorium nuchae impositum, minuere haud valuisserent  $\frac{1}{4}$  grani pars cuti epidermide spoliatae inspersa est, et insequenti die rigiditas tantum nuchae restabat, quac  $\frac{1}{2}$  grano adplico, post tres horas evanuit. Alter vero tetanus spontaneus e terrore nimio ortus. Puella videlicet quae-dam herpete affecta ambulabat cum alia epileptica, exorto hujus paroxysmo in hypothimiam domumque redux in convulsiones, trismum etc. incidit. Lembertus vesicatorio ad cervicem adplicato, tribus horis elapsis  $\frac{1}{4}$  grani partem morphii acetici inspersit loco excoriato. Interposito trichorio cessit trismus, reliqua symptomata perstiterunt; dosi eadem morphii, iterum adhibita, puella extendit brachia; per noctem omnes musculi mobilitatem ita recuperarunt, ut

(<sup>31)</sup> Lembert. I. s. c. p. 56.

in integrum restitueretur. In tertio casu eventus minus votis respondebat, quanquam effectus salis in tetanum minuendum nihilominus apparebat. In viro enim qui quinque pleuritide laborans, violento tetanico impetu subito correptus; cum aqua fervida bullas producere, haud valeret incisionem scroti instituit Lembertus tunicaeque vaginali duo inspersit grana; quo facto, symptomata tetanica post horam jam mitiora, tribus vero praeterlapsis horis evanescabant; aeger vero increcentibus pleuroperipneumoniae symptomatibus nihilominus exspiravit. Cadavere secto non modo solitae peripneumoniae sequelae, sed etiam vasa medullae et cerebri injecta et extravasata in arachnoidea spinali et cerebrali, et in ventriculis cerebri fluidum collectum, detecta erant.

Summo successu idem remedium in hoc morbo Ceriolius<sup>(35)</sup> et Rombergus<sup>(36)</sup> experti sunt. Primus in semina duobus diebus post lesionem, supraorbitalis regionis dextræ, trismo correpta, cui diebus aliquot praeterlapsis, tetanus accessit violentus. Antiphlogisticis, antispasmodicis et narcoticis, quin morphio acetico ipso dosi  $\frac{1}{3}$  grani partis omni bihorio porrecto, per octo dies frustra adhibitis,  $\frac{1}{4}$  grani pars vesicatorio nuchæ bis in diem applicabatur, unde cum somnus sequeretur, remittebat tetanus trismusque minuebatur et  $\frac{1}{3}$  grani parte per novem dies bis quotidie inspersa, ita, ut grana 6 et  $\frac{1}{2}$  consumerentur, omnino restituta fuit aegra. Alter quoque in foemina spasmis soepius obnoxia, quae post insultum epilepticum terrore productum, aphonia et trismo erat afflita  $\frac{1}{3}$  grani partem vesicatorio pectoris

(35) La clinique Decembre 1829, v. Annali universali di medicina Mayo 1829.

(36) Casper's Wochenschrift für d. g. Heilk. 1833 B. 2 p. 1139.

omni tertia hora tali successu inspersit, ut post tertiam dosim aphoniam, post quintam trismus, evanuerit. Neque vero omnes medici felicem invenerunt hujus remedii effectum. In duobus enim gravioribus casibus, quorum uterque ex inflammatione medullae spinalis sine dubio exoriebatur, methodus ab A. L. Richtero frustra tentata fuit. Alter (37) aegrorum miles robustus veneris gulaeque servus, trismo cum gastricismo gravi juncto correptus fuit, qui quamvis antigastrica adhiberentur in opisthotonum verum abiit. Vs. et opiatis intus frustra tentatis, grana 3 vesicatorio prope umbilicum quotidie inspergebantur, hirudinibus vero ad columnam vertebralem et balneis interea haud neglectis; sed quamquam narcotismo sese insinuante remitterent symptomata, sexto tamen morbi die exspiravit aeger, postquam 18 grana sunt adhibita. In altero (38) autem homine tetano spontaneo laboreante praeter methodum antiphlogisticam generosiorem 9 hujus remedii grana aequa infausto eventu in usum vocata fuerunt: secto cadavere emollitio medullae spinalis inventa est.

His simul computatis in aliis tres grani partes ad morbum profligandum sufficisse animadvertisimus, dum in aliis nihil omnino copia novies major efficerit; quod, quanquam mirum primo aspectu videtur, facile tamen si origo morbi in casibus superius commemoratis respicitur, explicari potest. Qui feliciter curati sunt, in illis nulla mutatio organicā probabiliter obtinuit; qui vero infaustum habebant eventum, eos probavit sectio jam mutationem subisse organicam.

(37) Medicina: Zeitung des Vereins f. H. in Preussen 1854 S. 82.

(38) L. c. 1853 S. 65.

2) *Rheumatismus.*

Lembertus (<sup>39</sup>) tres affert casus illo sale tractatos; quorum unus febris erat rheumatica cum dolore et tumore omnium extremitatum superiorum articulationum et perfecta propemodum eorum immobilitate conjuncta; Vs. et hirudines per intervalla repetitae febrem quidem minuebant, sanitas tamen nou revertebatur; hirudinum itaque morsibus, exiguae morphii portiones sunt inspersae, quae somnum arecessiverunt. Evidentior apparuit effectus postquam medicamentum cuti vesicatorio denudatae est impositum, suspendi autem medicinae usum opporrebbebat, quoniam aegra morphii acetici grano per errorem hausto veneficij symptomata obtulit; postea tamen morphii usu repetito, aegrota in valetudinem prosperam restituta ac dimissa est. In altero rheumatismo chronico fibroso dolores gravissimi in humero brachio et cubito sedem figentes, somnum turbantes omnemque impeditentes motum nec vesicatoriis nec remediis internis levari potuerant, post inspersionem vero grani  $\frac{1}{2}$  institutam bene decessebant, usque grano per aliquot dies continuato omnino fugati sunt. Tertius rheumatismus chronicus articularis erat, qui manui et cubito inhaerebat et cum per septimanas fere tres hirudines et remedia solita graves dolores minime levassent; granum semis, quatuor granis camphorae nuptum vesicatorio brachii inspergebatur, quo facto, dolor multo mitior postridie ad genu migravit, sensim cum per aliquot dies aloë ad alvum obstipam solvendam vesicatorio applicaretur, sponte evanuit. A. L. Richterius qui morphium aceticum in triginta hujus morbi casibus adhibuit, id experimentis a se institutis evicisse ait; dolores quidem si febris vel localis adasset inflammatio, si

(<sup>39</sup>) Idem p. 70 et seq.

morbus denique complicatus appareret vel e dyscrasia originem duceret optime levari posse, minime vero nisi alia congrua adhiberentur remedia morbum domari, sin hisce praemissis, febris et inflammatio debellata esset, dolores et rigiditatem remanentem facile hac methodo fugari. Troussavius duos affert casus morphio acctico curatos quorum in uno febre, Vs. et solitis remediis debellata, dolores totum brachium occupantes sola grani  $\frac{1}{2}$  inspersione sopiti, in altero vero ubi dolores rubore et tumore coniuncti, varias sensim adgrediebantur articulationes et illi et febris cum ad unumquemque locum affectum sensim vesicatoria et postea morphium applicarentur, omnino quidem tali cura profligati sunt, sed reconvalescentia per duos perseverabat menses. Blanquius (<sup>40</sup>) vero in quadam aegra febre laborante rheumatica, jam una grani  $\frac{1}{2}$  inspersione dolores quidem femur occupantes sustulit febris autem solitum decursum haud mutavit. Julliardus (<sup>41</sup>) in quinque casibus rheumatismi fibrosi apyreti methodum hanc adhibens, ter bonum, bis vero nullum vel levem modo vidi effectum.

Non desunt et alii qui in hocce morbo non modo morphium aceticum verum etiam sulphuricum et hydrochloricum tentarunt. Quorum illud primum in quinque casibus a Hoffmanno adhibitum nullum effectum, alterum vero a Dupuytreno (<sup>42</sup>) porrectum, cuius dosis ab  $\frac{1}{8}$  grani parte ad unum elevabatur, haud exiguum praestitisse, videtur.

### 3) *Neuralgiae.*

Ischiadem posticam Lembertus primus morphio acetico curavit. Etenim vir 36 annorum jam diu Ischiade posti-

(<sup>40</sup>) *La clinique Août 1829.*

(<sup>41</sup>) *L. e. Février 1852.*

(<sup>42</sup>) *Journal de médecine et chirurgie prat. Septembre 1853.*

ca adeo pertinaci detinebatur, ut nullum remedium ne moxa quidem solveret; per intervalla remissiones quidem apparetant, at symptomata mox recrudescebant, dolor nervum ischiadicum sequens, immobilitas femoris atque claudicatio magis magisque ingravescebant: grano  $\frac{1}{2}$  morphi acetici in locum excoriatum applicato mox cesserunt dolores somnusque placidus subiit. Refectione haud mediocreiter invalecente, remedium dictum auctis ad granum 1 et  $\frac{1}{2}$  dosibus, quotidie propinabatur. Casu quodam, aeger morphii acetici granum in pilularum forma hausit, a quo beneficium symptomata excitata, usum medicaminis externum per aliquot dies vetabant. Elapsis autem paucis diebus, pristinus morphii usus minutis dosibus iteratus, aegerque intra quinque hebdomades sanatus est. Ischiadem quoque nervosam subito exortam quatuor grani  $\frac{1}{2}$  inspersoribus, ita removit Julliardus ut modo leves restarent cruris dolores, eodem modo octiduo fugati. Nec minori successu eundem morbum curarunt Ricotius (<sup>43</sup>) et Bonillaudius quorum hic, in quinque casibus morphium adhibuit aceticum, inter quos unus, qui per annos quatuor duraverat, tam pertinax fuit, ut vesicatoriis morphinicis, dolores paulatim in femore et cruribus persequi cogeretur (<sup>44</sup>) in sexto vero morphium hydrochloricum ita in usum vocavit (<sup>45</sup>) ut vesicatoriis duabus, altero coxae, altero regioni popliteae, imposito, granum  $\frac{1}{2}$  quotidie inspergeret, donec post sex dies fugatus esset morbus. A. L. Richterus quoque post morphium aceticum per octo dies ab 1 grano ad 2 adhibitum, in du-

(<sup>43</sup>) Vide A. L. Richter. p. 34. Die endermische Methode Berlin 1838.

(<sup>44</sup>) Journ. hebdomad. N. 21. 1834.

(<sup>45</sup>) Schmidt Jahrbücher d. g. Med. 1836 II. 2. p. 185.

obus casibus eventum faustum vidit. In nevralgia temporali quovis die recurrrente Lesiorius (<sup>46</sup>) morphium acetatum summo successu se adhibuisse refert. Troussavius quoque in femina varias nevralgias soepius antea perpessa, paroxysmum nevralgiae temporalis gravissimae, qui febribus conjunctus motibus per triginta sex horas perseveravit, dimidia hora post inspersione grani dimidii praeterlapsa removit et tres grani partes postridie cum novus mitior appereret, inspergens, morbum omnino fugavit.

Uti in nevralgiis stricte dictis, sic quoque in aliis morbis quando dolor symptomatum omnium maxime molestus est, endermicus horum salium usus qua palliativum optimum laudatur et non raro sanationem quoque assert. Hemieranias enim frequentius granum semis vesicatoriis ad tractum arteriae temporalis applicitis, inspergendo, se fuisse idem refert. Cum vero quam variae cephalalgiae sint causae, perpendamus, non mirum videbitur, talem curram haud semper cum felici eventu suisse institutam. Hoffmannus enim morphium et sulphuricum et aceticum in tribus cephalaeae casibus, qui e vitiis partim menstruationis partim digestionis originem ducere videbantur, dosim etiam ad grana duo elevatam, frustra expertus est; in uno vero post ablactationem orto, cum morsibus hirudinum morphii sulphurici granum sine levamine inspersum esset, quatuordecem dierum intervallo, morphio acetico dosi a grano dimidio ad duo et dimidium elevata, morbum removere ei contigit. Eckelius (<sup>47</sup>) dolores combustionē productos, morphio oleo soluto lenivit, eosdem quoque graves, hydrophthalmum incurabilem concomitantes, vesicatoriis mor-

(<sup>46</sup>) Archives générales de med. 1826 Juin.

(<sup>47</sup>) A. L. Richter p. 50.

phinicis ad tractum nervi supra orbitalis applicitis, fugavit. Dolores syphiliticorum osteocopos inspersione grani dimidii ad 1 et  $\frac{1}{2}$  aucta, intra aliquot dies fugavit Hoffmannus talesque hirudinibus praemissis antequam congrua remedia morbum prefligassent, eodem modo lenivit A. L. Richter us uti quoque morphio hydrochlorico Troussavius et Bonnetus<sup>(48)</sup>. Cruciatus gravissimos e cancro uteri ortos, quos nulla narcotica ne morphium quidem interne porrectum lenire valuebant, hoc remedio endermatice adhibito per aliquot menses leniebat Lembertus donec aegra mortem occubuit.

4) *Bronchitis et phthisis.*

Lesiorius primus morphium aceticum in bronchitide chronica adhibuit, et in quatuor aegris hoc morbo affectis granum  $\frac{1}{2}$  ad duo pectoris vesicatoriis per mensem inspergens, morbum non modo lenivit sed omnino fugavit. Lembertus in duobus easibus bronchitidem chronicam fauste curavit. Quorum primus vir 55 annorum per quatuordecem annos catarrho chronicō omni hyeme in bronchitidem abeunti, obnoxius erat. Lembertus aloēn applicavit mediante vesicatorio qua per longum tempus aeger usus erat: quinque aloēs grana clapsis horis decem ad administratione, plures alvi dejectiones doloresque colicos moverunt, quo experimento audacior factus, ad pervigilia et molestissimam tracheac pruriginem debellandam, morphii acetici pulverati, granum  $\frac{1}{2}$  loco excoriato imposuit, quo facto; pruritus tussis et pectoris oppressio non nihil remiserunt. Postero die adhibito grano uno morphii acetici, somnus accessit; tertio die sex aloēs granis impositis, alvus citra colicam

<sup>(48)</sup> Archives générales Février 1852.

plures mota, pectoris affectiones recrudescentes duobus morphii acetici granis levabantur, eademque dosis per triduum continua: suspensis remedii symptomata exasperabantur, quamobrem pristina morphii acetici dosis repetita et redente valetudine meliori ad grana 3 et  $\frac{1}{2}$  aucta fuit: at eodem vespere exacerbatio incidit, quamobrem morphii acetici doses repetitae sunt et ad grana 4 auctae, quibus aeger intra aliquot hebdomas eatenus refectus est, ut dimitti potuisset. Alter (<sup>49</sup>) vir trigenarius, per bimestre bronchitide chronica laborabat, pluribus remedii incassum adhibitus, vesicatorium brachio dextro impositum, locoque nudato quarta grani pars morphii, grana sex moschi, inspersa sunt. Altero die pectoris oppressio minor, tussis autem frequens, expectoratio difficilis exstiterunt. Mane sequente granis duobus kermetis mineralis, vespere grano morphii dimidio applicatis ad locum excoriatum, expectoratio facilior evasit, quo facto; morphii dosis ad grana tria, moschi ad quindecim kermetis ad tria, aucta. Loco vesicatorii aliquoties mutato morbus intra sex hebdomas cessit. A. L. Richterius (<sup>50</sup>) qui in 30 casibus hoc remedium tentaverat, si quid inflammationis restet, ut caute adhibeat monet, cum facile inde recrudescit morbus ita, ut ad methodum antiphlogisticam recuratur, necesse sit, praeterea si expectoratio intempeste impeditur, interna remedia hanc promoventia simul porrigenda suadet; optimum vero hujus remedii usum in bronchitide chronica et secundo pneumoniae, pleuritidis et laryngitidis stadio, si post inflammationem debellatam, tussis magis spasticae indolis, sicca et valde molesta, per paroxysmos accedens remanserit, invenit.

(<sup>49</sup>) Lembert l. s. c. p. 60.

(<sup>50</sup>) Idem p. 45.

Ad symptomata pectoralia placanda et somnum adducendum in phthisicis cum successu hoc remedio usus est Lesiorius monens tamen, ut non minus in hoc morbo, quam in aliis, organicac destructioni junctis, minor adhibeatur dosis, cui quoque alii consentiunt jam ex  $\frac{1}{8}$  grani morphii acetici parte narcotismum molestum in tali casu exortum videntes.

5) *Tussis convulsiva.*

Meyerus (<sup>51</sup>) primus hunc morbum morphio acetico se curasse refert. Cum enim in puero decem annos nato, qui rheumaticis doloribus cum tussi convulsiva alternantibus laboravit a  $\frac{1}{2}$  hujus salis grano, quod quotidie vesicatorio cardiae triduo quovis renovato inspergebatur, celeres mirabilesque vidisset effectus; in quinque aegris tussi convulsiva afflictis emetico praemisso, eandem instituit curam eo successu; ut intra octo dies, levi modo remanente tussi catarrhali omnino simili morbus profligatus fuerit. Idem comprobant Kochlerus et Blummeus (<sup>52</sup>) qui itidem eodem intervallo temporis duos aegros, inter quos, infantem adhuc ubera sugentem sanasse ajunt.

6) *Vomitus et Cardalgia.*

Lembertus primus morphio acetico ad vomitum coercendum usus est. Erat ille ex irritatione ventriculi sine dubio inflammatoria in semina hysterica ortus, quae, ante annum peritonitide puerperali affecta fuit. Omnia ingesta solida et fluida vomitu reiebantur, regio epigastrica sub

(<sup>51</sup>) Rust Magazin Bd. 28 II. 2 p. 536 Berlin 1828.

(<sup>52</sup>) Rust Magazin Bd. 51 II. 5.

minima pressione dolebat, spasmi intercurrebant, lingua ad margines et apicem rosea, media brunescens, cutis ardens, pulsus celer, parvus, noctes sine somno, corpus emaciatum. Variis remediis in casu tam desperato frustra exhibitis, granum morphii acetici dimidium vesicatorio, quod ante aliquot dies epigastrio applicitum erat, inspersum est et vomitus mox siluit; modo ingestione solidorum revocatus, accessitque noctu somnus; dosi dein per tredecem dies ad grana duo et dimidium aucta, solida quoque ingesta retenta fuere, et hisce quatriduo applicitis sanitas omnino restituta fuit. Eodemque remedio a grano dimidio ad duo et dimidium vesicatorio regionis umbilicalis insperso, vomitum chronicum pertinacem post gastroentero-peritonitidem remanentem se sanasse contendit Dabourgius (<sup>53</sup>). Vomitum quoque e chronica ventriculi affectione ortum in uno casu, quotidiana inspersione a grano dimidio ad tres partes aucto, per sex dies; in quatuor aliis, dosi a grano dimidio ad unum et dimidium elevata, per octo et viginti dies fugavit Bouillaudius (<sup>54</sup>) A. L. Richter in scirro pylori, cum nec extractum quidem opii interne porrectum ferri potuisse, hac methodo conspicuum adduxit levamen (<sup>55</sup>), qui idem cardialgiam et gastodyniam hysterica cum vomitu coniunctam, ter sanavit.

7) *Dysuria.*

Gerhardus dolores gonorrhœam concomitantes applicatione unguenti cerati morphio commixti in vesicatoriis pe-

(<sup>53</sup>) Gerson et Julius magazin April 1827 p. 564.

(<sup>54</sup>) Schmidt Jahrbücher d. g. M. Bd. V. II. 2 p. 250—257.

(<sup>55</sup>) Idem p. 55.

rinci fugavit. A. L. Richterus dysuriam post refrigerium vel usum balsami copaivae in blenorhoeis chronicis ortam, inspersione una vel bis repetita, in quinque easibus sustulit; idem vir affirmat, nunquam stranguriam sub usu methodi endermaticae occurrere, imo ex usu unguenti cantharidum productam una grani inspersione in tribus easibus fugatam, observavit.

8) *Febris intermittens.*

Ad hunc morbum debellandum solus modo A. L. Richterus (<sup>56</sup>) morphio acetico usus est. Quatuor aegros mitioribus febribus laborantes, digestivis praemissis ita curavit, ut granum  $\frac{1}{2}$  mane et vespere vesicatorio inspergeret. Unus ex hisce a quotidiana febre, decimo tamen quarto die recidiva, jam post usum quinque granorum liber fuit; duas vero quartanas, quarum altera chinio sulphurico interne porrecto frustra tractata erat, novem demum grana ejusdem remedii fugaverunt et tertiana, quae, quartanae recidiva, decimo quarto die rediit, novem grana et dimidium exposcebat. Hisce commotus experimentis, hanc methodum in omnibus febribus simplicibus, imprimis vero iis, quae aut illa ventriculi affectione conjunctae sunt ut omnia ingesta rejiciantur, aut infantes corripiuntur, aut diurnae et pertinaces internum opii expostulant usum, adhibere suadet ille auctor.

Praeterea, plures quoque morbi erant uti delirium tremens, mania, cholera asiatica, febris nervosa aliquique quibus morphii acetici ope mederi conabantur medici.

(<sup>55</sup>) Idem p. 38.

II. STRYCHNIUM.

Strychnium purum primi endermatice adhibuere Lembert et Lesiorius non minus prospero ejus usu interno compulsi, quam fausto eventu quo Dumerilius (<sup>57</sup>) extractum nucis vomicae vulneri imiso, paralysin curavit palpebralem; hoc exemplum itaque complures sectati sunt medici; cum vero salia basin solubilitate longe superant, recentiori tempore illa quoque nitricum scilicet sulphuricum et acetatum in usum vocata sunt. A. L. Richterus minoris momenti esse putat, utrum basis sola an acido quodam saturata adhibeatur. Magendius (<sup>58</sup>) vero salia imprimis nitrica strychnio solo, fortius agere indicat. — Effectus, si locales strychnii puri respicimus, Lembertus affirmat, illos a morphio fortiores esse, dolores enim excitantur loci denudati urentes, pungentes, suppuratioque uberior. — Universales vero, in organis sensus et motus nec minus in vasis apparent. Bihorio post applicationem elapso, oriuntur plerumque convulsivi motus, qui si graviores sunt, cephalalgiam ejus lateris excitant cui applicatum est remedium. — Effectus per sex vel duodecim horas continuati soepe artuum rigorem relinquunt; noctu motus convulsivi validiores sunt, graviores tamen cerebri perturbationes desiderantur, sanguinis circuitus acceleratur, partes resolutae majorem concipiunt temperiem et transpirationem ubiorem.

In dosi eligenda summa circumspectione opus est, semper a dosi incipientes strychnii puri granum dimidium hand superante, si vero adhibetur sal, a quarta grani parte, deinde quarta grani pars quotidie vel rarius additur et

(<sup>57</sup>) Essai sur la méthode endermique p. 11.

(<sup>58</sup>) Formulaire pour préparation etc. Paris, 1853, p. 26.

quando adaugente dosi, fortiores et magis extensi sese exserunt spasmi, usus potius per aliquot dies intermitte debet.

1) *Paralyses Extremitatum.*

Lambertus (<sup>59</sup>) summo successu in hoc morbo pluries strychnium adhibuit. In uno casu, sive manuum paralysis post colicam saturninam, cui duodecimesies occubuit aeger semper tamen feliciter liberabatur. Quum ultima vice ex hacce colica convalesceret, utriusque manus extensores paralysi correpti sunt, quamobrem Strychninum in pilulis aliquamdiu adhibitum est; sed motu extremitatis non redeunte aeger pro insanabili dimissus est. Aegro in nosocomium (à la Pitié) recepto vesicatorium ad utrumque antibrachium applicatum et strychnii granum dimidium, loco excoriato brachii dextri ita adspergebatur, ut dosis intra quinque dies, morbo decrescente ad granum integrum augetur. Motus convulsivi et vertigo effecerunt ut per triduum suspensus usus denuo repeteretur. Ut directus in cerebrum exsereretur effectus, strychnium cervici tum applicabatur, manuumque functio intra dies aliquot ad normam restituta est. Idem duas manuum paralyses duasque paraplegias sustulit. Ballyus (<sup>60</sup>) quoque paralysin artuum post colicam saturninam remanentem strychnino, cuius usus spasmos quidem non produxit, gravibus vero ad caput congestionibus venesectionibus domandis conjunctus erat, se soepius sanasse refert. G. H. Richterus (<sup>61</sup>) in simili casu sanitatem dosi ad granum elevata, quae per mensem

(<sup>59</sup>) Idem. I. s. c. p. 86.

(<sup>60</sup>) Revue medicale 1827 Avril v. Hecker's Annalen Novbr. 1827. S. 565.

(<sup>61</sup>) Diss. p. 56.

inspergebatur, lente quidem redire animadvertisit. Groebenschuetz (<sup>62</sup>) paralysin extensorum manus dextrae, ex eadem causa ortam infuso arnicae et balneis sulphuratis frustra tractatam, strychnio nitrico, a ejus dosi minori per septimanam continuata nullus apparuit effectus, dosi sensim ad granum et quartam partem elevata, intra quinque hebdomades omnino sanavit. In paraplegia quoque iam a Lemberto strychnium in uno easu fuit tentatum, quamvis minori successu sine dubio, quia mutatione organica iam laborabat medulla spinalis. Aeger enim per tres annos epilepsia pertinaci affectus, efflorescentia cutanea retropulsa, formicatorum extremitatum inferiorum dolorem cum debilitate continuo increscente, percepit. Hisce molestiis vexatus post insultum epilepticum solito sortiorem, omnifacultate extremitates inferiores movendi privatus est, auxilium a variis remediis frustra petens. Strychnium quoque a quarta grani parte ad unum fonticulo, qui, per aliquot tempus sustinebatur inspersum nihil effecit: novem vero grana vesicatorio brachii sensim applicita, solitis phoenomenis productis, vires adeo restituerunt, ut aeger fulcris nisus parum ambulare valeret, usus tamen continuatus aegrum omnino restituere non potuit. G. H. Richterus quoque sine successu in hoc morbo strychnium adhibuit.

In hemiplegia Lesiorius (<sup>63</sup>) non sine successu uti videatur strychnio usus est, cum vero dosis a grano dimidio ad duo sensim adaugeretur, post ultimam inspersione subito tetanicus apparuit insultus, grauis morphii acetici duabus eidem vesicatorio mox inspersis fugatus. Duos aegros a se ipso tractatos fuisse refert G. H. Richterus, quorum

(<sup>62</sup>) De Strychnii in nevrosisibus vi atque usu Berol. 1855. p. 57.

(<sup>63</sup>) Archives générales.

alter (<sup>64</sup>) quamvis strychnium ad grana duo adhibitum, solitos produxisset spasmos, statim omnino immutatum inde percepit; alter (<sup>65</sup>) vero jam post unum et dimidium venescie symptomatibus morphio acetico domatis obrutus, leviorum membrorum motum sibi restitutum esse sensit. Raciborski tres afferit easus hemiplegiae apoplexiam seculæ ubi cum successu strychnium endermatice adhibitum fuit (<sup>66</sup>).

2) *Paralysis faciei.*

Rombergus semel felici cum eventu strychnium sulphuricum ad hunc morbum debellandum adhibuit. Foemina enim facie sudante noctu aeris perflatui exposita, mane dextram faciei partem immobilem insensibilemque percepit; os et nasus ad sinistram distortus, saliva ore effluit, palpebrae oculi dextri dolentis, cuius conjunctiva inflammatione affecta erat immobiles. Cum vesicatorio triduo post, inter processum mastoideum et angulum maxillæ inferioris applicito, mane et vespere quarta grani pars inspergaretur, tribus jam praeterlapsis diebus paralysis palpebrarum sanata, septem vero omnino restituta aegra. Lanelongus (<sup>67</sup>) paralysin faciei sinistrae usu hirudinum praemisso, octava grani parte bis in diem et interne porrecta et vesicatorio inspersa brevi sustulit. Bouillaudius (<sup>68</sup>) quoque paralysin faciei atque colli sinistri post puerperium exortam, ferro, china et strychnio, interne porrectis balneisque frustra adhibitis, per tredecem dies strychnio ab octava grani parte ad tres exsutorio pone aurem insperso,

(<sup>61</sup>) Idem p. 56.

(<sup>62</sup>) Medicinische Zeitung Berlin 1834 p. 170.

(<sup>63</sup>) Schmidt Jahrbücher d. g. M. 1836, Bd. X. II. 1. p. 13.

(<sup>64</sup>) Encyclop. de sciences médicales T. XV. 1835. p. 207.

(<sup>65</sup>) Schmidt I. s. c. Bd. V. II. 2. p. 250.

omnino profligavit. A. L. Richterus qui ad paralysin faciei tractandam strychnio nitrico utebatur, exiguum effectum obtinuit.

Exemplum optimi effectus post Strychnii puri endermatio modo usum, et quidem in paralytica palpebrarum oculi sinistri affectione, sub auspiciis Clarissimi Professoris J. M. Brodowicz observandi occasio mihi fuit. Manifesta enim symptomatum remissio post plures externas applicationes aderat, ex integro vero aliquot hebdomadum spatio sublatus est morbus, cum serius internus cum externo usus junctus esset.

### 3) *Aphonia paralytica.*

Illa semel a G. H. Richtero<sup>(69)</sup> feliciter strychnio tractata fuit. — Femina enim soepius refrigerio exposita, variis praegressis catarrhalibus et hystericis symptomatis vexata, subito aphonia correpta est, adeo ut modo sonum sibilantem extrudere valeret. — Variis remediis frustra tentatis, vesicatoria ad utrumque laryngis latus applicita fuere, quibus alternatim quotidie strychnium a grano dimidio ad unum et quartam partem inspergebatur. Hacce dosi per quinque dies continuata, mulier summatim granis novem applicatis nono die convalevit.

### 4) *Amaurosim*

quoque hac methodo debellare studuerant. — Listonus Goutrius<sup>(70)</sup>, Schortius<sup>(71)</sup>, Middlemerus aliique anglorum medici, sine tamen ullo successu.

(69) Idem p. 52.

(70) Medicale Gazette London January 1850 u. alg. med. Zeitung 1851 S. 180.

(71) Edinburg med. and surgical Journal 1850 Octobr. v. Frovięp's Notitz. Bd. 29 S. 37.

5) *Nervalgiae.*

In his Kreuserus, Magnus, Strychnium endermatice tentarunt.

III. EXTRACTUM BELLADONAE.

Lembertus sequentes effectus post Belladonam endermatice applicatam observavit. Doses majores facile veneficii symptomata efficiunt, visus soepe turbatur, pupillae dilatatio, deliria ac totius corporis tremor haud raro accedunt, subinde vomitus biliosus, colicae, sedes copiosae borborygmi; praeterea bronchiorum secretionem diminuit vimque antispasmodicam exserit. Ne hocce extractum succi recentis evaporatione paratum nimis irritaret, gravesque dolores excitaret, quos per horam perdurare observavit A. L. Richterus, materiem pinguem aut emollientem addere oportebat. Extracto belladonae aliquando ad sinistrum latus applicato, pupillae dilatatio et oculi dextri debilitas, ortae sunt. Lembertus in

1) *Dyspnoea*

quadam granum ad octo extrinsecus administravit, naturam ejus haud indicat, nisi quod felici cum eventu se adhibuisse referat.

2) *Insultus epileptici.*

Quos in pueri per annos complures hebdomade quavis recurrentes, dosi grani dimidii sensim ad tria elevata, bis in diem regioni epigastricae applicita, per quinque septimanas retardare contigit Magnusso<sup>(72)</sup>. A. L. Richterus<sup>(73)</sup> scrupulum extracti duabus aquae laurocerasi drach-

(72) Idem Diser. p. 51.

(73) L. c. p. 90.

mis diluens fluidum format, quo locus denudatus his in diem penicilli ope illinatur. Exinde in catarrhis apud aceros quorum viae aeriferae summe erant irritabiles, in secundo bronchitidis, pleuritidis, pneumoniae atque laryngitidis stadio, cum inflammatione debellata tussis modo restaret, quae per paroxysmos accedens diu continuans sensum suffocationis interdum etiam vomitum consensualem provocabat et denique in tussi spasmatica titillatione fauicum conjuncta, tam prosperos effectus interdum post duas jam vel tres applicationes animadvertisit, ut id nullum narcoticum interne porrectum praestitisset.

#### IV. EXTRACTUM STRAMMONII.

Parva dosi endermatice adhibitum inter anodyna modo nominat Gerhardus, prolixius autem de hoc non dissernit, quia nondum satis crebro adhibitum suisse videtur.

#### V. CROCUS.

Hujus remedii in cutem applicati, agendi rationem sihi nondum innotuisse Lembertus profitetur, adhibuit modo crocum in nevralgia occipitali intermittente post efflorescentiam capitis cutaneam exoriente, quae quavis meridie otalgia interdum conjuncta accedebat, mane demum inserviente cessans. Chinio sulphurico interne morphio, asafoetida et belladona endermatice simul cum Vs. frustra tentatis, grana sex croci nuchae inspergebat, quo facto, siluerunt quidem dolores capitum, quatuordecem vero diebus practerlapsis humerum et genu aggressi sunt, morphii acetici et asae foetidae endermatico usu fugati.

(<sup>73</sup>) Idem l. c. p. 114.

VI. VERATRINUM.

Turnbullus primus Anglorum medicus veratrinum jatrophiptico modo adhibuit, et quidem unguentum ex granis veratrini decem vel viginti et axungiae uncia paratum, quantitate nucis manc et vespere, cuti prope locum affectum inspicabat, effectusque haud exiguos in nevralgiis rheumatismo, paralysi, hydropibus et arthritide observavit. His experimentis Ebersius (<sup>74</sup>) compulsus endermatice illud remedium pulveris forma et unguenti adhibere ausus est. — Effectus locales nimis molesti non raro vix ferendi post pulveris insersionem oriuntur, qui tamen longe mitiores apparent post unguenti usum. Quare illud pulveri longe praefert auctor, quia mitius agit, effectus vero universales maiores certioresque exserit. Sic in prosopalgia supraorbitali pertinaci, quae post decem dies unguenti usu fugabatur, nihil omnino effecit inspersio, et in tribus hydropticis casibus diuresis minime aucta est, quamquam in uno unguentum largiter illam provocaret. Nec tamen semper sine fructu fuit pulveris inspersio, bis enim anasarcam, tribus insersionibus fugavit Ebersius.

B. TONICA.

I. CHINIUM SULPHURICUM ET MURIATICUM.

Illud a Lemberto primum et Lesiorio, hoc vero a Lehmanno Wescheo et A. L. Richtero endermatice adhibitum fuit. Effectus localis in inflammatione, doloribus sat gravibus, soepe suppuratione loci excoriati consistit, universalis vero in eo, quod mox ab applicatione ut Lembertus contendit, calor gratus a loco inde affecto ad totum cor-

(<sup>74</sup>) Casper Wochenschrift 1857 Nr. 46—49.

pus diffusus oriatur, sanguinis circumitus per vasa capillaria augeatur, pulsuum autem frequentia hand mutetur, calorem per horas aliquot manere dicit, ejus praeccipue lateris cui applicatum est remedium; soepe pruritus ardorque cutis calori adjungitur, musculorum nervorumque actiones inten-duntur: pupilla admodum dilatata quandoque contrahitur.

1) *Febris intermittens.*

Lembertus pluries felici cum eventu Chinium sulphuricum in hoc morbo se adhibuisse citat. Etenim una febris erat tertiana (75) quae solito more per quatuordecem dies curata haud cessit. Granis sex chinii sulphurici ad locum vesicatorio excoriatum applicatis desit febris, quo facto, remedii usus per quatriidum ita continuabatur, ut dosi ad grana decem aucta aeger sanus evaderet. Simili ratione idem febrem tertianam per biennium quibusunque chinac praeparatis frustra curatam, chinino sulphurico ad cutem nudatam applicato, intra quatuordecem dies depulit. In quartana vero pertinaci sane, quae per dimidium annum remediis internis chinio sulphurico ipsi obstiterat, minus felix fuit, paroxysmus enim post primam granorum sex in-spersionem mitior, non prius sublatus est, donec per quinque insequentes dies quadraginta hujus remedii grana sensim adhibita fuissent. Vitio diaetae commisso, post aliquot dies iterum reversa est. Externus chinii sulphurici usus repetitus nihil praestitit, dosibus autem granorum duo-decem ad quindecem intus administratis valetudo integra rediit. Martinus jun. febres intermittentes typi diversi ita sanavit, ut chinum sulphuricum loco corporis excoriatio admoveret. Eventus praeter opinionem laetus exstitit, te-nacissimae enim febres interdum granis aliquot semel adhi-

(75) Lembert. I. c. p. 98.

bitis facili negotio breve tempore cesserunt. Lesiorius ait, plures febres intermittentes chinino sulphurico ad cutem denudatam applicato facile cessisse. Wescheus utrumque sal dosibus variis granorum 3. 4. 5. in usum vocans plures febres varii typi ita sanavit, ut paroxysmus proximus multo mitior accederet, dein sponte omnino cessaret: in tribus vero casibus, quorum in duobus quinque, in uno duodecem grana in duas divisa particulas frustra adhibebantur, sanatio demum aegris a domiciliis humidis remotis, internum usum sequebatur. Lehmann octo citat breves observationes de externa chinini sulphurici et muriatici applicatione; eventus partim laetus partim infastus exstitit. Secundo in exemplo grana chinii muriatici bis tria, tertia vice duo gingivis infriticata, febrem sustulerunt quotidianam; in quinto eadem dosis loco excoriato regionis epigastricae, in sexto grana octo eidem regioni uno impetu, in octavo grana quatuor bis regioni dictae inspersa, in septimo chinii sulphurici grana quatuor bis ventriculi regioni imposita, febres depulerunt tertianas; in primo tertio quartoque exemplo irrita fuit applicatio. A. L. Richter usus est chinio sulphurico ad granum unum regioni epigastricae ab epidermide denudatae admoto, jam effectus in pluribus febribus vidi, minus tamen efficax chinium muriaticum se praestitit. Aeque summo successu Gerhardus, Christianus, Berndtius, Julliardus, Raciborski, Bouillaudius aliique chininum contra hunc morbum adhibuerunt.

2) *Hemicrania* (<sup>76</sup>).

Quae per integrum decennium ab hora matutina quinta ad meridiem, supra dextrum oculum saeviit, sex granis

(<sup>76</sup>) Lembert. I. s. c. p. 104.

chinini sulphurici corio nuchae inspersis a Lemberto remota fuit.

3) *Cholera asiatica* (77).

In tam rebelli morbo quoque successu felici adhibitum fuit chinium sulphuricum, eum in modum, ut quatuor vesicatoria; duo cruribus duo vero brachiis applicita, unguento ex drachmis butyri sex et granis chinii sulphurici quindecim confecto, ter vel quater in diem diligarentur, interea synapsimi plantis pedum subijeciebantur et glacies interne porrigebatur.

C. ANTISPASMODICA.

I. MOSCHUS.

Effectus quos applicatio externa moschi profert, parum adhuc sunt dilucidati. Lembertus diaphoresin excitatam tubi intestinalis renumque secretionem alteratam ab eo vidit.

1) *Asthma*.

grave a Lemberto sanatum, quod cum post internum usum granorum sex moschi cum julep conjuncti, haud plenarie debellatum fuisset; idem, vesicatorio in brachium applicato, demitaque vesicula octonis diebus grana sex moschi inspersit, asthmatique brevi post evanuit. Lesiorius moschi efficaciam in spasmos et catarrhum suffocativum observavit, at singularia ejus rei momenta haud explicit.

II. TINCTURA ASAE FOETIDAE.

bis a Lemberto tentata fuit, in altero casu (78) sola adhita fuit, in

(77) Archives générales Novembr. 1853.

(78) Lembert l. s. c. p. III.

1) *Nevralgia frontali.*

pertinaci videlicet, quae cum varia remedia frustra in usum vocata fuissent, morphio acetico a grano dimidio ad duo sensim vesicatoriis applicito modo per nychtemerum sedata fuit. Revertente vero illa simul cum variis hystericeis symptomatibus, guttae tincturae asac foetidae decem, vesicatorio mane et vespere instillabantur, unde mox fugabantur symptomata omnia, levi dilaceratorio sensu in regione temporali excepto qui triginta guttis adhibitis octiduo evanuit.  
In altero vero contra

2) *Rheumaticum*

humeri dolorem, guttae quindecim summo successu per octo dies adhibitae fuere, sed notandum est, eas cum grano acetici morphii fuisse conjunctas.

III. FLORES ZINCI

a Hoffmanno ter tentati sunt in febre videlicet apud infans-  
tem cum spasmoidicis contractionibus conjuncta in epilepsia  
pueri decem annos nati, atque in juniori epileptico, sine  
tamen successu.

D. EXPECTORANTIA.

I. KERMES MINERALE.

Teste Lemberto kermes effectum localem exserit irri-  
tantem, bronchia excitat, tussim auget, expectorationem  
promovet, soepe colicas affectiones provocat ut drastica.  
In catarrhis gravibus kermes feliciter se adhibuisse refert  
Lembertus aequo ac Lesiorius. Bono quoque cum successu  
Magnus et Rombergus

## II. SULPHUR AURATUM ANTIMONII

adhibebant, amplius tamen observationes hujusce remediis  
haud afferentes.

## E. EMETICA.

### I. TARTARUS STIBIATUS

raro tantum endermatice adhibitus est, nec de effectibus ejus consentiunt medici. Illum localem Lembertus admodum irritantem esse fere intolerabilem dicit; jam unum ejus granum alvi dejectiones et sudores universales excitavit, vomitum vero nunquam. Gendrinus quidem vomitum ex unguento stibiato ita praeparato, ut tartarus emeticus prius in aqua solutus esset quam axungiae commiseeretur, regio epigastricæ infriato exoriri animadvertisit; interea nec A. L. Richterus nec alii in pluribus casibus, qui vesicatoria unguento stibiato deligata videre, ne semel quidem vomitum observaverunt.

#### 1) *Erysipelas Faciei.*

Lembertus feliciter in hoc morbo tartarum stibiatum endermatice adhibuit. Femina enim trium vel viginti annorum phthisi pulmonali laborans correpta est faciei erysipelate cum gastricis affectionibus complicato: altero morbi die grana duo tartari stibiati inspersa sunt loco vesicatorii ope excoriato, quo facto, diuresis, sudores copiosi, promoti sunt; nulla vero intestinorum irritatio neque nausea apparuit, postero die aegrota multum sensit levaminis lingua pura facta, ciborum appetentia rediit, quamobrem tartari stibiati usus haud repetebatur. Lesiorius qui caeterum nihil de remedii hujusce usu affert, in morbis qui diaphoresim exigunt feliciter se illud adhibuisse narrat.

## II. EMETINUM.

Perraro endermatice adhibitum fuit. Gehrardus quidem post decem illius remedii grana vesicatorio regionis epigastriæ inspersa, vomitum vehementem exoriri se observasse, refert. Magendie quoque emetinum cuicunque corporis parti adplicetur, facile absorberi contendit. A. L. Richterus tamen ex undecim casibus in quibus grana tria ad viginti aueta adhibuit, modo in singulis vomititionem levem, nunquam vero vomitum provocatum vidit.

## F. DIURETICA.

### I. SCILLA.

Pulvis radicis et extractum adhibita fuere, pulvis autem aut solus inspergitur aut cum adipe nonnihil miscetur, dosisque ejus unius vel trium granorum semel, bis vel ter, quotidie vesicatorio applicatur. Simili modo extractum semel quotidie adhibitum.

Effectus locales utriusque sunt valde irritantes imprimis autem extracti; quod, teste Lemberto (<sup>79</sup>) tussis vehementiam demulcit, sputa promovet, se et excretiones adauget, resolvit; bis ingentes extravasationes (de vastis epanchemens) eo resolutas esse tradit.

Doses administravit granorum sexdecim, in loco vero excoriato cui applicabatur, dolorem acerbum intulit. Ballyus (<sup>80</sup>) disserens de medicaminum adplicatione cuti denuodatae, extractum scillæ inquit hac ratione adhibitum effectum intense diureticum diaphoreticum et expectorantem

(<sup>79</sup>) Idem l. c. p. 122.

(<sup>80</sup>) Revue medicale 1827 Avril. v. Hecker's Annalen 1827 Novembr. S. 563.

Magnusson prosperos effectus ex dosi longe minori se animadvertisse dicat.

Effectus, quos producit locales sunt acerbissimi dolores, qui per decem vel quindecim minuta interdum per dimidiam horam durant, haud raro adeo vehementes ut necessitate sit ab usu eorum abstinere: paucis diebus praeterlapsis, vesicatorium in suppurationem transit et post duodecim denum vel quatuordecim dies exsiccatur. Universales fere idem sunt ac qui in usu interno cernuntur, nam in systemate vasorum efficaciam exserit deprimentem, secretionem urinae adauget, eodemque tempore absorpcionem serosorum extravasatorum promovet, quae omnia per plures dies apparent; licet remedium non amplius adhibeatur.

1) *Hydrothorax.*

Magnusson (<sup>(82)</sup>) qui omnia de hoc morbo habuit certa criteria haud exiguo effectus post digitalem endermatice adhibitat se vidisse affirmat. Dosis autem exigua erat, cum primum quartam grani partem singulis diebus bis adhiberet deinde usque ad duo grana eam augeret; tum morbus qui internis remedii adhibitis frustra antea tractatus erat, hebdomadibus quinque praeterlapsis, ita quidem imminutus, ut dyspnoea aliqua excepta, omnia symptomata plane evanuerint, sed cum remedium per paucos dies sepositum esset, omnia symptomata redierunt. Ilasseus (<sup>(83)</sup>) id remedium in

2) *Ascites*

regione lumbali ab epidermide denudata adhibuit dosinque ab uno scrupulo ad dimidiam drachmam auxit, at propter vehementes dolores locales, quanquam diuresis valde pro-

(<sup>82</sup>) Diss. p. 28.

(<sup>83</sup>) Diss. G. H. Richter p. 50.

mota, post paucos dies seponere coactus est. Recentiori tempore ad

3) *Febres intermittentes.*

sanandas, endermaticum digitalis usum interno conjunxit Bouillaudius (<sup>84</sup>). Hoc modo quinque tertianas, decem granis interne porrectis, eademque dosi vesicatorio hypochondrii sinistri insperso, mox leniisse breve fugasse dicitur.

G. PURGANTIA.

I. JALAPPA.

Secundum Gerhardum (<sup>85</sup>) Jalappa locum denudatum irritat tantum, quin absorbeatur. Resinae jalappae usum aquae sine fructu esse animadvertisit A. L. Richter; hanc enim dosi granorum octo vel decem in tribus casibus regioni epigastricae inspersit, localemque tantum irritationem provocavit. Nihil quoque effecerunt decem grana extracti aloës conjuncta cum tribus resinac jalappae granis.

II. ALOË.

Hoc remedium loco denudato applicatum dolorem urentem provocat bonamque suppurationem, omnes quoque qui hoc medicamentum experiebantur de laxanti ejus effectu consentiunt, solo A. L. Richtero excepto. Lembertus (<sup>86</sup>) primus grana quinque vel decem hujus medicaminis prospere successu endermatice adhibuit ad obstipationem alvi tollendam, quae ab usu acetatis morphii orta erat, effectus autem nonnisi post horas aliquot cernebantur. Gerhardus

(<sup>84</sup>) Schmidt Jahrbücher 1826 II. 2 p. 185.

(<sup>85</sup>) Behrend Allgemeine Repert. Julii 1831.

(<sup>86</sup>) Lembert. Essai... p. 60—76.

hocce remedium inter optima numerat, quae endermatae methodo convenient, cum facile sit ad solvendum candemque dosin granorum scilicet decem, externo ac interno usui sufficere refert. Hoffmannus pulverem extracti aloës aquosi dosi granorum duorum ad sex quinques ad alvum obstopam movendam, quae post usum sulphatis morphii orta erat feliciter] adhibuit, inter quatuor enim et duodecim horas efficaciam vidit. Wiesbachius quoque refert, quatuor grana extracti aloës aquosi vesicatorio regionis hypochondriacae dextræ adhibita, in quodam ictero sine hepatis affectione felices produxisse effectus. Magnusson observavit ex granis quatuor excoriati brachii inspersis, evacuationem alvi oriri, cumque hoc repeteretur, largam diarrhoeam sequi. His omnibus experienciis A. L. Richterus repugnat, in pluribus enim casibus a sex granis ad decem vesicatorio regione umbilicali inspergens, nullos effectus vidisse contendit.

### III. CALOMELA.

Calomela pura cuti excoriatae applicata post paucas horas cum sero exsudato crustam format siccum, absorptionem atque ulteriore applicationem impedientem, idcirco axungiam uti Lembertus, vel sacharum pulveratum uti A. L. Richterus, addere suadent.

Effectus localis nonnisi in ardore, raro hora dimidia diutius perseverante consistit. Universalis vero si dosis minor est, uti a decima sexta grani parte ad duo grana sensim elevata, calore cutis aucto, sudore, alvi urinaeque excretione aueta, salivatione copiosa, tremore soope formicatione et spasmis manifestari Lembertus contendit. Ballyus primus fuit qui hoc medicamentum anno adhuc 1802 in Hispaniola insula contra febrem flavam endermati-

ce adhibuit et eventus exstitit lactissimus. Lembertus contra syphilidem universalem ad grana duo calomela utebatur, effectus semper promptus, sed difficile diremptu fuit num curatio radicalis sit secuta. Rombergus grana tria cum optimo effectu in duobus aegris adhibuit, in quoram uno, paraglegia per annum laborante, cum alvus quatriduo clausa esset, illa dosis vesicatorio ad ultimam dorsi vertebram applicato inspersa, unde sex horis praeterlapsis alvus largius quam unquam per totum morbi decursum secessit. Eodem successu in simili casu, hanc dosin saepius usurpavit Magnus et in alio aegro, ascite laborante, granis quatuor applicitis, tres quatuorve sedes virides provocavit et Hoffmannus hora jam et dimidia praeterlapsa, cum granum unum et dimidium vesicatorio regionis umbilicalis in infante, qui anasarca et ascite post scarlatinam laborabat erant inspersa, complures evacuationes alvi serosas esse exortas, refert.

#### IV. OLEUM CROTONJS

locum denudatum cui caute instillandum est magnopere irritat ita, ut secundum A. L. Richterum vesicatorium quodque modo quater usurpari possit; ardor enim exoritur mox gravissimus et inflammatio crysipelacea in ambitu vesicatorii late extensa. Quanquam Rayerus frequentes alvi evacuationes unam vel duas guttas corio denudato instillatam provocasse refert, alii tamen suis experimentis aliter edociti sunt, quod quoque e remedii natura et ratione agendi opinari licet. Ita Cramer~~s~~ soepius illud experiens modo in uno aegro, duodecim horis post usum octo granorum praterlapsis, aliquot sedes provocari animadvertisit, et A. L. Richterus in duabus guttas quatuor vj. viij. x. vesicatorio abdominalis, in duabus aliis iij. v. viij. x. bubonibus

suppurantibus applicans, nullum observavit effectum, in quinto vero in quo, ulceri pedis puro j. vj. viij. adhibitae erant guttae post ultimam dosim alvus bis aperta fuit.

a d d e n d a.

Praeter dicta remedia, plura alia, uti inter purgantia extr. colocynthidis compositum, elaterium ab A. L. Richtero, rheum a Gerhardo, camphora et castoreum ad spasmos sedandos a Lemberto in usum vocata sunt, prolixius autem de his non disseruerunt, quatenus nondum satis crebro a se adhibita fuisse profitentur.

---

## T H E S S

---

OPONENTIBUS:

*S. S. Wróblewski*, Med. Dre.

*J. B. Bobrzyński*, Med Dre. et Adj. C. M.

*A. C. Cybulski*, Med, Dre, Medic. Assis. in Nosoc. S. Lazari.

Die Mensis Julii. Anno 1838 defendendae.

---

1. Methodus Endermatica in quibusdam morbis interno medicamentorum usui praferenda.
  2. Cutis resorptioni praeceps medicamentisque variis recipiendis idonea.
  3. Cucurbitae siccae viri absorptionem vulneri inserti cohibent.
  4. Mathesis medico perquam necessaria.
  5. Loca quae vegetationi plantarum maxime favent, vitae humanae infesta sunt.
  6. Somnus optimum anodynūm.
  7. Aphorismus Hippocratis, dum morbi inhoant, si quid movendum, videatur move, anceps est.
  8. Nullum recens systema in medicina penitus rejeciendum.
  9. Exercitium facultatum mentis in juventute, exercitio virium physicarum postponendum.
-





BIBLIOTEKA  
AKADEMII MEDYCZNEJ  
W LUBLINIE

05340

